

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 7368

**Auteur(s) :** Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Bayeux, Saint-Nicolas-de-la-Chesnaie (léproserie)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** [1172-1189]

**Lieu d'émission :** Bur

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Confirmation des prébendes instituées par Guillaume le Conquérant et par d'autres pour les confrères de la léproserie établie au couvent de Saint-Nicolas de Bayeux.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° DCLXXXIX, t. 2, p. 313-316.

## Dissertation critique

« 1172-1173 – 1189 » : sur la datation de cet acte, voir DELISLE/BERGER, Recueil des actes de Henri II, t. 2, p. 313. Cet acte, qui porte la formule Dei gratia, n'est pas antérieur à 1172-1173.

Texte établi d'après a

Henricus, Dei gratia rex Anglorum, et dux Normannorum et Aquitanorum, et comes Andegavorum, archiepiscopo Rothomagensi, et omnibus episcopis, comitibus, baronibus, vicecomitibus et omnibus ministris et fidelibus suis de Normannia, salutem.

Sciatis me dedisse et concessisse et presenti carta confirmasse in perpetuam elemosinam XX. prebendas quas Willelmus illustris rex Anglorum, proavus meus, stabilivit de redditibus suis in civitate Baiocensi, confratribus leprosis in monasterio Sancti Nicolai Baiocensis sub religione viventibus. Sunt autem de prebendis istis IIII or in molendinis Baiocarum, videlicet IIII modii ordei et nichil amplius. In prepositura ville sunt quindecim prebende ad quas pertinent singulis septimanis IX. solidi et VI. denarii de liberatione stabilita ; ad vestimenta vero et calciamenta prebendariorum VI. libre et III. solidi per annum in Natali Domini ; ad carnem quoque XV. bacones de lardario meo, vel XLV. solidi de redditibus porcariorum de magna foresta in festo Sancti Andree apostoli ; ad salem autem XV. solidi in prepositura ville, et ad coquenda eorum cibaria XV. quarcate lignorum de consuetudine illa que vocatur leingnagium, et ad necessaria sepulture uniuscujusque fratrum quando moritur III. solidi in prepositura predicta. Ad capellam vero Sancti Audoeni de Ponte Isberti, que vigesima prebenda, pertinet parum terre et parum decime ibi prope, et apud Mathoium de cima de dominico Sellonis Surdi et participis sui cum omni jure parochiali, et apud Lion supra mare terra que fuit Roberti presbiteri de Sancto Audeno, et decim a terre que dicitur Terra Monialis, quam Baul. de Clintonia de ea habuit. Ad hoc concedimus eisdem

leprosis quandam feriam VII. dierum, cum omni jure ad nos pertinente in prepositura Baiocensi, in festo Sancti Nicholai, nec minus quandam quadrigatam de mortuo bosco et de sicco in silva mea Verneii singulis diebus, et quietanciam et libertatem animalium suorum de porcagio et herbagio in forestis nostris Normannie. Preterea totam terram Ricardi filii Sansonis Baioccensis, et terram Benedicti filii Riguefemme, que duo tenementa venerunt in dominicum nostrum judicio curie nostre pro defectu heredum. Dedimus eciam duas garbas, ad sustentamentum eorum, decimarum illarum apud Aldreium quarum donacio ad nos per tinebat, cum illa parte ecclesie quam Radulfus Osberti habuit de dono Henrici regis, avi mei. Similiter et decimam cum illa parte ecclesie de Maduno quam Arrianus presbiter tenuit de Rogero Salesberiensi episcopo, et Thomas filius ejus de meipso. Dedimus utique ad usus eorum duas garbas totius decime cum terra elemosine ecclesie de Burgesbu, et capellam de Hoga cum omnibus pertinenciis, et mansuram Viret in parrochia Sancti Lupi, quam Matildis regina eis dedit pro inhumandis leprosis, et mansuras ibi prope ubi leprosi manserunt. Hec omnia supradicta de donis antecessorum nostrorum et nostris predictis leprosis concedimus et confirmamus pro salute animarum predecessorum nostrorum et pro remissione peccatorum nostrorum, libera et quieta ab omni servicio et auxilio et omni terreni juris potestate et omni seculari exactione, nisi in sola truncatione membrorum et morte dampnatorum. Concessimus etiam eis fundari ecclesiam in via regia, liberam et quietam sicut dominica capella nostra de castello Baioccensi et capella Sancti Audoeni habentur et tenentur. Et quoniam ad nostram pertinet potestatem pauperibus et miseris jus suum integrum et inconcussum conservare et tenere, quecumque eis collata et concessa sunt libera et quieta sicut prescriptum est similiter concedimus et confirmamus, maxime ea que Philippus Baioccensis episcopus donavit, videlicet quamdam prebendam de L. solidis per annum in prepositura de Ponte Isberti, et duas prebendas in duobus archidiaconatibus inter Auream fluvium et Olnam, utrumque similiter de L. solidis per annum, VII. acras terre in parrochia Sancti Vigoris que fuit dispensariorum. De dono Henrici Baioccensis episcopi, unum sextarium frumenti et IIII. capones et XL. ova de redditu, que Vincencius de Sancto Vigore reddebat ei pro servicio VII. acrarum terre et dimidie quas tenebat jure hereditario in cultura que dicitur Bercharia, quam terram Rogerius de Arreio emit a predicto Vincentio, concessione et assensu ejusdem episcopi. De dono utique ejusdem episcopi, reliquum predicte culture usque ad veterem (sic) fossatum quo terminatur a parte que est versus Sanctum Martinum, videlicet V. acras terre que appellantur Curcerie, et quandam acram terre que est contigua eidem culture in capite ex parte orientali. De dono Rogeri de Arreio, IIII. acras terre apud Anerias supra mare, quas Philippus episcopus dedit ei pro servicio suo, et X. solidos Andegavensium per annum, et IIII. cappones in terra Camonum de Crisetot, et II. sextaria ordei in eadem terra de decima ejusdem terre cum minutis decimis, et apud Baiocas ad Crucem Cornu II. acras terre, et V. virgatas in Carduneto quas emit de Symeone et Cecilia uxore ejus, et I. quarterum frumenti in terra quam ipse emit de Johanne filio Conani. De dono Eudonis filii Gonboldi, duas mansuras juxta burgum Toroldi, et in Poteria IIII. mansuras infra fossatum Cingule, et apud Karpiket unam mansuram citra villam. De dono Gaulteri Mabilie, duas garbas decime de V. acris terre in territorio de Brunvilla, et dimidiem virgatam terre super vivarium episcopi. De dono Rogeri archidiaconi, II. sextaria frumenti in cultura super le Vallet apud Karqueingneum. De dono Cecilie uxoris Gueroldi, unam mansuram in mercato. De dono Philipi de Deserto, unam mansuram ibidem. De dono Radulfi filii Riculfi, unam mansuram ante castellum, et V. virgatas terre in parrochia Sancti Lupi. De dono Luce filiastri Hugonis cum Barba, II. solidos de redditu in sua mansura. De dono Ranulfi Cachastre, V. mansuras in parrochia Sancti Vigoris, et campum Trianguli in via de Croileio, et dimidiem acram terre in Mara. De dono Gaii de Sancto Vigore, dimidiem acram terre in Longua Reia. De dono Ricardi de Anglia, unam mansuram apud... De dono Rogeri Frigain, III. mansuras apud Novam Cromellam. De dono Clari canonici, unam acram terre ante clausum canonicorum. De dono Henrici Calvi, II. acras in clauso Gebeline. De dono Willelmi Poignant, terram in qua manet Ortholanus. De dono Thome de Blarreio, terram cimiterii leprosorum. De dono Ranulfi Borinc, duas garbas decime sue terre d'Etames. De dono Sansonis de Crepon, unam peciam terre apud Marronam. De dono Hugonis de Vauseio, unam peciam terre super Seullam. De dono Mathei filii Hugonis, duas mansuras ante domum Caffrai. De dono Luce filii Philippi, unam mansuram prope domum Vigerii. De dono Willelmi Gervasii, unam mansuram ubi Cecilia de Veterna mansit. De dono Juliane de Vaceio, unum sextarium ordei in molendino de Jueto. De dono Alveredi de Soleigneio, unam mansuram apud Vaus[ei]um, cum terra in campis. De dono Hamonis Pincerne, unam peciam terre apud Russeum. De dono Roberti de Sancto Remigio, insulas apud Normanvillam, et unam mansuram ibidem. De dono Ricardi de Crisetot, unam acram terre apud Aldreium. De dono Roberti Caffrai, unam mansuram ante domum Willelmi Surdi. De dono Ade filie Diere, unam mansuram ibidem. De dono Radulfi de Dovra, duas mansuras versus Cromellam. De dono Vincencii Sancti Vigoris et Georgii fratris sui, duas acras terre juxta curtillagium leprosorum. De dono Radulfi de Caron, unam acram terre apud Caron. De dono Willelmi Duffort, unam acram terre apud Sanctum Laurencium supra mare. De empacione Rogeri de Arreio et ejusdem

Willelmi, IIII mansuras in Nova Cromella super vivarium episcopi, et ante illas alias duas, et duas alias ante domum Sellonis de Cromella. De dono Warnerii de Baiocis, IIII. acras terre in qua Gaulterus filius ejus militis manet. Emit etiam Rogerius de Arreio unam mansuram ubi Johannes Rufus manet, et unam mansuram ante fossatum regis, de heredibus Roberti de Asneriis et Willelmi fratris ejus, et unam mansuram que fuit Roberti Bochet apud Sanctum Lupum, et XX. pedes terre de Thoma Joseph. De dono Willelmi Forestarii, unam mansuram in Campo Florido. Emit etiam idem Rogerius VI. mansuras in Veteri Cromella, et III. mansuras in parrochia Sancte Marie Magdalene, et III. alias in Campo Florido, et duas in parrochia Sancti Johannis. De dono Lescie de Campeigneio, unam mansuram apud Montmirel. Concedimus demum et confirmamus quod homines in terris dictorum leprosorum manentes sint omnino liberi et quieti ab omni servicio et auxilio et ab omni exaccione tallagii, focagii, monetagii, theloniei, et ab omni consuetudine et seculari potestate ad nostrum jus pertinente, nisi in sola truncacione membrorum et morte dampnatorum, que ad leprosos pertinere non debent. Propter has autem libertates et immunitates, predicti leprosi habeant partes mortuorum manencium in terris eorum, salvo jure parochiali ecclesiarum et presbyterorum in quorum parrochiis manebunt; et ad hoc facere heredes mortuorum per leprosos possint compelli. Prohibemus eciam ne aliquis super predictis eis aliquam injuriam vel contumeliam facere presumat, immo precipimus et volumus ut ipsi leprosi et omnes res eorum sicut res nostre proprie in pace conserventur et ab omnibus tueantur.  
Testibus his : Henrico Baiocensi episcopo, Roberto de Estoutevilla, Rogero Bacon, Alveredo de Vaaceio, Willelmo de Soliers, Philippo de Columberiis, Willelmo Malet, Johanne de Soleingneio, Rogero Wac, Hamone Pincerna.  
Apud Burum.